

rem præsentem potest dari amor terminatus ad præsentiam, quia ipsam vult, et sibi placet, et nondum intelligitur fruens illa, sed requiritur ad gaudium quod ipsa præsentia, et possessio rei ut amatae et placentis, sit motivum formale sui, et nonsolum terminus amatus. Ad hoc autem præsupponi necessario debet amor tamquam conditio illius objecti, ut dictum est, et sic si præcedit, distinctus actus est, et distinctum motivum formale habet, quod in scientia respectu intuitionis non currit.

IN DEO RESPECTU SUI NON EST PROPRIE AMOR CONUPISCENTIÆ NEQUE AMICITIÆ.

X. Pro hujus intelligentia advertite quod de amore concupiscentiæ possumus loqui dupliciter. Uno modo large, et generaliter, prout est amor cujuscumque boni erga se, seu potius negative, pro omni amore, qui non est ad alterum, seu pro altero supposito extra se, alio modo stricte prout est effectus amoris respicientis bonum futurum, et in appetitu est quædam passio media inter amorem, et delectationem; semper tamen se habet ad bonum futurum, ut docet S. Thomas 1-2, q. xxx, a. ii, in corpore et ad ii. Potest etiam sumi stricte concupiscentia ut contraponitur, et dividitur contra amorem amicitiae, et sic sub eisdem conditionibus debet sumi uterque amor, quia contrariorum eadem est ratio. Pertinet autem ad amorem amicitiae, ut docet S. Thomas 2-2, q. xxv, a. iv ad iv, quod fundetur in aliqua unione duorum, non in in omnimoda unitate, seu identitate, qualis est ejusdem ad se ipsum: et sic ejusdem ad se ipsum non datur amicitia, sed principium amicitiae, quia in tantum habeo ami-

citiam ad alium, in quantum reputo illum sicut me, et ut alterum me; et ideo amabilia quæ sunt ad alterum, oriuntur ex amicabilibus quæ sunt ad se. Similiter ego si amor concupiscentiæ sumatur stricte, ut contraponitur, et dividitur contra amorem amicitiae, non fundatur in omnimoda unitate cum bono concupito, sed in unione, quatenus per concupiscentiam volumus aliquid ut scilicet jungatur, et adveniat nobis, sicut amicitia vult bona alteri cum quo non sumus unum, sed uniti. Unde proprie non concupiscimus nobis nos ipsos, sed nobis aliquid concupiscimus, nobis inquam ut subjecto, aliquid tamquam materiam seu objectum amatum volumus.

Secundo notandum est, quod amor amicitiae potest esse mutuus et amabilis, vel ratione actus, vel ratione personæ. Ratione actus, quia plures actus exercentur, quibus personæ mutuo se amant, et communicant in nobis, sicut enim amicitia exigit communicationem in nobis, quia amicitia vult bonum amico, ita postulat amorem mutuam, quia sine hoc mutuo non est redamatio, et consequenter neque bonorum communicatio. Ratione autem personarum est mutuus: quando personæ se amantes sunt plures; et talem amorem inter se exercent, sive pluribus, sive eodem actu se ament. In Deo autem invenimus multiplicationem personarum, sed non actuum, neque communicationem mutuam, licet sit amor mutuus, sed vel identitatem vel communicationem solum ex parte personæ originantis, non ex parte personæ originatæ: Pater enim communicat Filio divinitatem, sed non accipit, nec sibi communicat aliquid Filius. Et Pater, et Filius communicant Spiritui sancto omnia bona divina, sed non accipiunt, nec

sibi communicatur a Spirite sancto aliquid originative seu active, communicant tamen omnes tres Personæ per identitatem in eisdem bonis et perfectionibus divinis, quia consubstantialia sunt.

His positis affirmamus in Deo non esse proprie, et stricte amicitiam ad se, neque concupiscentiam, sed amorem summum et infinitum, qui est altior amore amicitiae et concupiscentiæ, quo se diligit sibi per summam identitatem, et Personæ divinæ sibi communicant in nobis per eandem identitatem essentiæ et per eundem actum amoris se ad invicem et mutuo diligendo.

XI. Fundamentum est, quia amicitia consistit essentialiter in actu amoris ut mutuo: ergo stricte, et proprie sumpta requirit mutuam amorem, et non unicum actum in personis exercentibus amicitiam: unicus enim actus, mutuus amor non est, nec unitivus, aut communicativus, quia communicatio, et unio, et mutua correspondentia actuum, plures actus dicit, non unum tantum. Si ergo amicitia essentialiter dicit actum, quia essentialiter amor est: ergo in Deo non est amicitia erga se in rigore et simpliciter, quia non est mutua redamatio ex parte actuum, sed solum sunt plures Personæ habentes eundem actum amoris essentialem, sed non mutuam redamationem simpliciter, quia redamatio actum amoris dicit, et in hoc amore non datur mutua correspondentia, sed summa identitas, et unitas. Nec in actu notionali spirandi Spiritum sanctum est mutua redamatio, seu actus, sed unicus amor: nam Pater, et Filius unica spiratione et unico actu spirant, et se mutuo amant, ubi ly mutuo solum verificatur ex parte Personarum, non ex parte actuum. Ex parte autem Spiritus sancti non datur mu-

tua redamatio notionalis et spirativa, quia licet Pater et Filius unico actu spirent active Spiritum sanctum, tamen ipse Spiritus sanctus non mutuo spirat in illos, quia non spirat active Spiritum sanctum solum, ergo Pater et Filius mutuo se amant notionaliter ex parte Personarum se tenente ly mutuo, non ex parte actuum. Essentialiter autem omnes tres Personæ se amant mutuo per summam identitatem actus, quæ identitas non est mutua correspondentia actuum, et consequenter neque est stricta et rigorosa amicitia, quæ in actu amoris consistit, et in eo mutuam correspondentiam, et redamationem non habet, quia nec pluralitatem, sed unitatem summam.

XII. De amore vero concupiscentiæ constat non posse formaliter esse in Deo, si stricte, et in rigore sumatur, quia ut supra diximus, amor concupiscentiæ stricte sumptus, vel est motus appetitus circa bonum futurum, et absens: concupiscimus enim quod nobis est absens; et sic amor boni futuri, ut comprehendit sub se amorem, et spem, dicitur cupiditas, seu concupiscentia, ut docet S. Thomas 1-2, q. xxx, art. ii, in corpore et ad ii, imo etiam desiderium sic comprehendit. Et hoc modo concupiscentia manifestum est, quod est in Deo respectu sui, imo nec nos dicimur habere concupiscentiam respectu nostri, licet enim nos amemus, non tamen concupiscimus, quia ad amandum sufficit quod bonum quod proprium est nobis placeat, ad concupiscendum vero requiritur quod nondum in nobis sit. Deus autem non potest moveri in se ipsum ut absentem, et sic non potest hoc genere amoris se concupiscere. Si autem concupiscentia sumatur ut dividitur contra amorem amicitiae, et ut contrariatur illi in eadem linea et ratione, sic

non est amor concupiscentiæ strictè dictus in Deo, sicut nec amicitia, ut diximus, quia sicut amicitia strictè dicta respicit unionem, seu amorem unitivum inter amicos et non identice unum, quia amor identicus superat amicitiam, ita amor concupiscentiæ respicit unionem, et communicationem boni distincti quod concupiscitur, non identitatem, et unitatem cum illo, quia quod concupiscitur debet esse distinctum ab ipso concupiscente, eique communicabile et unibile, non unum, sicut amicitia amor est communicativus et unitivus bonorum, non unus, et in hac linea debet ei contraponi concupiscentia ut condivisa amicitiae.

XIII. Unde colliges in Deo non repugnare amorem concupiscentiæ erga creaturas, quatenus eas vult sibi, et in bonum suum, et sibi serviant, et amorem amicitiae, quatenus vult eis communicare dona sua, et se ipsum. Sumendo vero concupiscentiam lato modo, pro omni eo, quod est amor sui, et amicitiam prout est mutuus amor ex parte personarum, sed non ex parte actuum, etiam in Deo inveniri potest. Hæc secunda pars ex dictis manet declarata, quia hoc nihil est aliud dicere quam in Deo esse amorem sui, et esse plures Personas amantes se ad invicem, licet non plures amores seu correspondentias mutuas in ipsis actibus amoris, quod manifestum est. Prima vero pars quoad amicitiam erga creaturas communiter solet teneri et tractari 2-2, q. xxiii, a. 1, et ibi eam affirmat D. Thomas, ut Scriptura agnoscit eandem amicitiam, frequenter vocans ipsos justos amicos Dei. Quod vero detur in Deo amor concupiscentiæ erga creaturas, sic declarat S. Thomas in hac quæstione xx, art. ii ad iii, dicens quod: « Deus proprie loquendo non amat creatu-

ras irracionales amore amicitiae, sed amore concupiscentiæ, in quantum ordinat eas ad creaturas racionales, et etiam ad se ipsum, non quasi eis indigeat, sed propter suam bonitatem et nostram utilitatem: concupiscimus enim aliquid et nobis, et aliis. » Quare concupiscentia non est in Deo, sicut in nobis cum illa imperfectione volendi aliquid propter commoditatem propriam, et tamquam re qua indigemus, et communicare alii nolumus, sed tantum nobis. His imperfectionibus separatis, manet concupiscentia in ratione amoris alicujus boni distincti a se, quod vult Deus sibi, non ut indigens illo: sed ut sibi serviat, et participet suam bonitatem in hoc, vel etiam inserviando aliis. Hoc ergo modo non repugnat Deo concupiscentiæ amor erga creaturas, remotis imperfectionibus.

XIV. Sed objicies: Nam inter Personas divinas, v. g. inter Patrem et Filium datur amor mutuus et amicabilem cum summa communicatione bonorum; ergo est formaliter ratio amicitiae. Nec obstat unitas, seu identitas amoris, ita quod amor non sit unitivus, sed unicus. Nam contra est, quod hoc potius conducit ad strictiorem, et magis perfectam rationem amicitiae, quæ in conjunctione consistit, et ita ubi est summa conjunctio amoris, et bonorum, qualis est identitas, melior amicitia est: sicut eadem ratione probat D. Thomas infra q. xxvii, a. 1 ad ii, esse in Deo processionem ad intra cum summa unitate et identitate in natura communicata, quia processio ad intra conjunctionem postulat, et ita si est in summo conjunctionis quod est identitas, est perfectissima processio. Unde admittimus generationem simpliciter et strictè in Deo, licet communicet eandem numero naturam, quia salvatur cum sola distinctione reali personæ.

Quare ergo non erit similiter vera et formalis amicitia cum summa conjunctione et identitate amoris, et communicatione bonorum, dummodo sit cum distinctione reali Personarum?

Confirmatur, quia in amore, quo Personæ se mutuo amant eodemmet amore non repugnat inveniri duplicem illam formalitatem, et respectum amicitiae et concupiscentiæ; nam Pater amat bonum divinitatis in Filio ex complacentia ipsius, et vicissim Filius eadem bona diligit in Patre, ex complacentia Patris; et sic salvatur vera et formalis ratio amicitiae. Et rursus eandem bonitatem vult quælibet Persona sibi: ergo salvatur vera, et formalis ratio concupiscentiæ, quatenus aliquid bonum sibi concupiscit, et ex amore sui. Et eodem modo philosophandum est de Spiritu sancto qui amore essentiali, et sibi, et aliis Personis vult bonum divinum. Et quatenus vult sibi ex complacentia sui, est amor concupiscentiæ, quatenus aliis ex complacentia eorum, est amicitiae. Nec requiritur ad amorem amicitiae, quod præcise sit ratione commodi vel utilis, sed etiam ratione honesti: possumus enim bonum honestum amare nobis amore concupiscentiæ, ut cum nobis ex complacentia nostra volumus virtutem, volumus ipsam beatitudinem, etc. quæ sunt bona honesta: ergo et Deus potest velle sibi ex complacentia sui se ipsum ut bonum honestum. Imo in ipso amore amicitiae qui honestus est, bonum diligitur amico, ut fini cui, et sic respicit amicum amore amicitiae, et bonum ipsum quod diligit illi, est bonum concupitum, et amore concupiscentiæ attactum: ergo datur uterque amor in Deo.

XV. Respondetur negando esse inter Personas divinas mutuum amorem formaliter ex parte actus amoris, sed solum ex parte Perso-

narum amantium, quæ unico actu se amant. Unde non est amicitia simpliciter, quæ ex parte actus se tenet, sed aliquid majus amicitia, scilicet unitas amoris, et bonorum identitas, non unitivus amor.

Ad replicam dicitur, non conducere ad strictiorem rationem amicitiae conjunctionem quomodocumque, sed mutuam et unitivam, non unam et identicam, et esse diversam rationem de generatione in divinis: quia generatio non consistit in mutua actione, et correspondentia generantis ad genitum, et e contra, sed in sola processione geniti a generante in similitudine naturæ. Unde nihil officit, sed potius conducit ad generationem summa identitas in natura communicata, cum ad hoc tendat communicatio, et actio generantis, ut sibi simile, et conjunctum faciat genitum, sine hoc quod e contrario genitum operetur quidquam, aut communicet generanti, sed pure accipiat esse ab ipso. At vero amicitia consistit in conjunctione, et communicatione bonorum mutua et correspondente. Unde si ita crescat conjunctio, et identitas quod salvatur correspondentia, et ratio mutui, solvitur amicitia et transit ad aliam lineam conjunctionis, scilicet ad identitatem, quæ est major amicitia: caret enim mutua correspondentia, et gaudet identitate. Generatio vero solum dicit similitudinem, et conjunctionem cum genito in vi processionis, et expressionis, non correspondentiæ. Unde licet ad hoc perveniat ut communicando naturam similem, communicet eandem, tanto magis perficit et formalizat rationem communicationis transeundo a similitudine naturæ ad identitatem, dummodo sit distincta Persona cui sit talis communicatio, si quidem generatio ideo intendit similitudinem, quia intendit communicationem ipsius gene-

rantis ad genitum. Et quia in nobis communicatio non est summa, manet in ipsa communicatione naturæ similis; in Deo vero, quia summa communicatio est, transit ad identitatem, et tamen formalissime manet ratio generationis, de quo infra disputatione duodecima.

XVI. Ad confirmationem respondetur inter Patrem et Filium inveniri illam complacentiam, et velle bonum alteri propter ipsum, secundum rationem unius et ejusdem actus, transeat; secundum rationem mutui actus et correspondentiæ, nego; et ex hac parte deficit ratio amicitiae, ut consistit in ipso actu, seu actibus amoris, non ut ex parte amantum se tenet. Ad id vero quod dicitur de amore concupiscentiæ, dicimus quod est amor in Deo, quo se ipsum amat, et vult sibi, distinguo; per amorem communiter dictum, et fundantem solam rationem gaudii et delectationis, transeat; per amorem fundantem tendentiam in bonum absens, vel in bonum distinctum a se, quod per amorem communicativum et unitivum, non identicum attingi possit, nego. Hoc autem requiritur ad concupiscentiam stricte et proprie dictam, ut ex D. Thoma explicavimus. Idem dicimus de Spiritu sancto, qui amore essentiali vult alias Personas, non amore habente rationem mutui et correspondentiæ, sed identitatis; et sibi vult bonum divinum, et se ipsum non ut distinctum aut absens, et sic non vult amore concupiscentiæ stricte dictæ.

ARTICULUS II.

An sint in Deo formaliter effectus fugæ, odium, tristitia, ira, spes, etc.?

Omnes effectus qui ad fugam in voluntate pertinent, reducimus ad

illos, qui versantur circa malum fugiendo, vel etiam ad illos, qui licet circa bonum versentur tamen quia difficultatem vel arduitatem in ejus adeptione inveniunt, ratione cujus aliquo modo retrahitur voluntas, et indiget conari et impelli ad vincendum ut spes, audacia, etc. Et ideo de illis in præsentis articulo agimus, sicut in præcedenti de affectibus prosecutionis, ut amore, gaudio, etc.

ODIUM ET TRISTITIA IN DEO NON EST FORMALITER.

I. Supponimus tamquam rem clarissimam, quod si loquamur de istis affectibus, ut pertinent ad appetitum sensitivum, et vocantur passiones, nullo modo possunt Deo attribui, nec aliquis potest id cogitare, nisi errore maximo, putando Deum corporeum esse. Quare hoc modo non solum effectus fugæ, sed nec etiam prosecutionis ut amor, si sumatur ut passio sensitiva, Deo attribui potest formaliter. Loquimur de istis affectibus prout ad voluntatem pertinent, et spirituales sunt. Et secludimus etiam in his omnem imperfectionem, sicut in tristitia, aut ita id quod aggravationis, et tædii habet in voluntate, et quod dimittit de ratione gaudii, et similes aliæ imperfectiones, quas in nobis afferunt isti actus, quatenus nobis malæ, et aliquam privationem boni habent; in Deo enim nihil imperfectionis ponendum est. Sed loquimur de istis affectibus, ut ab omni imperfectione deputatis, an ponendi sint in Deo, si forte ab omni imperfectione possunt segregari: nam si aliqua sit quæ ita intrinsicam habeat imperfectionem, ut ab ea separari non possit, illa formaliter non ponetur in Deo.

II. Igitur odium proprie, et forma-

liter in Deo reperiri, docet Vasquez hic disp. LXXXIV, c. III. Et loquitur tam de odio abominationis, quam inimicitiae, ita quod Deus non solum habeat odio peccatum, sed etiam peccatorem, quatenus talem. Differt autem odium abominationis, et inimicitiae, quod abominatio versatur circa ipsum malum, inimicitia circa personam, cui volumus malum; et ita hoc duplex odium correspondet, et contrariatur duplici amori, scilicet concupiscentiæ, et amicitiae: sicut enim concupiscentia est circa rem volitam, amicitia circa personam, cui illam volumus, ita odium abominationis est circa ipsum malum, quod displicet et abominamur: odium vero inimicitiae circa personam, cui volumus aliquod malum. Utrumque ergo odium Vasquez assignat Deo proprie et non metaphorice, et in eo sensu intelligenda sentit loca Scripturæ, quæ Deo attribuunt odium, non solum respectu peccati et impietatis, sed etiam respectu peccatoris. Eandem sententiam docet Molina super quæstionem xx, art. 1, et Suarez libro III de attributis, c. VII, num. v; Arrubal super hanc quæstionem xx, num. VI; Herice, disp. xx, c. IV; Alarcon, tract. III, disp. VII, c. III, quamquam de odio inimicitiae, an Deotribuendum sit, Suarez ubi supra hæret, putatque quæstionem esse de nomine; simpliciter enim docet Deum odio habere peccatorem, juxta quod dicitur Sap. XIV: *Odio sunt Deo impius, et impietas ejus*: et Psalm. V: *Odisti omnes qui operantur iniquitatem*; quas locutiones videtur D. Thomas in præsentis quæstione xx, art. II, arg. IV, et solutione ad illud, in sensu proprio admittere.

III. Sed quia in odio abominationis Deus non abominatur, et fugit malum aliquod quod sibi inest, quia incapax est mali in se, sed solum

malum alienum, seu quod extra se est, ut peccatum, non nulla intricatio nascitur his auctoribus, quare in Deo non possit esse tristitia, etsi non de malo proprio, saltem de malo alieno: tristari enim possumus, etiam de malis aliorum, quia displicent nobis, et gaudium non causant. Vasquez ideo negat tristitiam Deo, quia esset de malo præsentis; si autem detur circa malum proximi, ideo est, quia apprehenditur, ac si esset proprium, quod Deo competere non potest. Suarez, quia tristitia vel est de malo pœnæ, et hæc ex voluntate Dei provenit, et sic non contristat, quia tristitia est de his, quæ nobis nolentibus accidunt. Vel est de malo culpæ, et hæc si est gravis, dissolvit amicitiam, et sic non contristat Deum, quia est malum inimici, non amici, et proximi: si autem est levis, potest illam de facili impedire, et non contristat. Alii ideo negant Deo tristitiam, quia importat quamdam animi anxietatem, quæ a Deo longe abest; odium vero sine molestia, et anxietate est, sed cum simplici displicentia salvatur. Quæ rationes quantam valeant, statim ponderabitur.

IV. Nihilominus dicendum est, odium non convenire directe et proprie, sed metaphorice et consecutive scilicet, quia diligendo aliquid directe et proprie, dicitur oppositum ex consequenti odisse, aut ad modum odientis tractare. Itaque odium est in Deo, non ut quid totaliter oppositum amori, sed ut consecutum ad aliquam amorem. Et loquimur tam de odio inimicitiae ad personas, quam de odio abominationis circa malum in se. Sumitur hæc conclusio ex D. Thoma I contra gent. c. xcvi, ubi non solum loquitur de odio inimicitiae, sed etiam de odio abominationis: dicit enim quod: « Dicitur Deus aliqua odire similitudinarie, et